1530

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ Novembris.

M. JOSEPHO PITTON TOURNEFORT, Doctore Medico, Præſide.

An morborum curatio ad Mechanicæ leges referenda?

EX medicamentis, alia per ſuperiora excludunt, vomitu, anacatharſi, ſternutatione, ptyaliſmo. Alia per inferiora ſubducunt, catharſi, diureſi, catameniis. Nonnulla per univerſam cutim, diaphoreſi tum manifeſtâ, tum inſenſibili. Cætera humores & partes ad naturalem ſtatum adducunt. Horum omnium actio tam mirabilis, quàm multiplex, à propriâ partium ſtructurâ & motu pendens ad ſolas qualitates primas referri non debet. Occultis rerum cauſis, aut inanitionis metui: Archæo vel ſpiritui univerſali minimè tribui: cum hirudinis, cucurbitulæ, ſuccini, aut magnetis viribus nequaquam comparari. Inania planè verba, niſi eorum notiones cum vi mechanicâ conjungantur. Quid ipſa caliditas, frigiditas, ſiccitas, & humiditas? niſi ſingularis diſpoſitio quorumdam corporum. Quid magnetica virtus? niſi ferri lapidei, & materiæ magneticæ ſymmetria & concentus. Quid hirudinum & cucurbitularum attractio ſine aëris gravitate, & elatere? Quid Archæus faber, Spiritus univerſalis, Anima mundi? fabula, vel materia tenuiſſima, egregiè mobilis, penetrabilis, cuncta movens. Sua ſingulis corporibus ineſt conformatio. Quæ clavim inter & ſeram, cochleam & receptaculum proportio, eadem ſæpe adeſt inter cætera corpora. Eædem eorum quæ viſum fugiunt, ac eum afficiunt leges. Aſclepiadæi ad magnitudines, & figuras, ac poſituras corpuſculorum, ac meatuum, facultates medicamentorum jamdiu retulerunt. Eadem quippe ſemper eſt naturæ vox, nec notiones naturales diverſæ, ſed harum quis curam habet! riſit tunc Galenus, alter ab Hippocrate medicinæ princeps, refellere conatus eſt, nec tamen ipſe in viribus medicamentorum exponendis, carere potuit partium tenuitate, atque craſſitie. Quid hiſce feliciſſimis temporibus exequemur, ad diſciplinarum incrementum magis opportunis?

QUEM æſophagi, ventriculi, & inteſtinorum nomine appellarunt ductum, muſculus ille eſt concavus, & glandula conglomerata. Hujus liquor ad alimentorum ſolutionem, fibræ ad eorum per inferiora expulſionem comparatæ ſunt. Promovetur hæc ab ingeſtorum pondere, diaphragmate, & muſculis abdominis. Præcluſis à pyloro ad anum viis, contenta gradum revocare neceſſum eſt. In causâ hæc ſunt: Præpoſtera fibrarum ventriculi contractio: Materia inferiores vias obſtruens: Violentus diaphragmatis, & muſculorum abdominis motus. In vomitu à medicamento fibrarum ventriculi contractio non invertitur, pylori & inteſtinorum cavitas non intercluditur. Ergo ventriculus & inteſtina velut à torculari premuntur à diaphragmate, & muſculis infimi ventris, ut quilibet in ſeipſo obſervare poteſt, quo tempore vomit. Eorum potentia ventriculi conatum ſuperare luculenter demonſtratur in cane vivo, qui mercurium ſublimatum voravit. Contra in purgatione contractio fibrarum ventriculi major eſt vi muſculorum abdominis & diaphragmatis; ob varium nempe ſenſum ab emeticis & à purgantibus excitatum, major vel minor ſpirituum copia fluit in ventriculum, vel in diaphragma, & muſculos infimi ventris. Cum primùm purgantia in ventriculum deſcenderint, ejus villi ad contractionem incitantur. Quo vehementius, eo facilius per inferiora pellunt. Glandulæ inter eos poſitæ fortius expreſſæ, per iteratas vices aptiores fiunt ad ſerum aſſiduè allabens copioſius excipiendum: Sic ſpongia quæ manibus tractatur, longè majorem aquæ copiam fundit, quam altera quæ immota manet, cum ad utramque æqualiter aqua decurrit ex tubo bifido. Sanguis igitur in purgatione colluviem ſeroſam copioſius deponit in glandulas ventriculi & inteſtinorum, quam cæterarum partium: deſpumatur ipſe, & univerſum corpus eluit. In vomitu verò abdominis partes geminatis ictibus mundantur à ſordibus, ut veſtes à lotricibus. Tantam munditiem etiam in proſperâ valetudine, ter in menſe requirebat Hippocrates in humidioribus, bis in ſiccioribus. Emetica per breviorem viam noxios, aut ſuperfluos humores eliminant abſque metu transfuſionis in ſanguinem, ut catharſis per lacteas ſæpe efficit. Sternutatoria & Errhina è glandulis membranæ pituitariæ ſerum eliciunt, non ſecus ac purgantia ex ventriculo & inteſtinis.

Chirac de ileo.

Lib. 3. de vict. rat.

UT charta bibula oleo vel aquâ imbuta tranſmittendis tantum olei, aut aquæ partibus idonea eſt, cum oleum aquâ permixtum ipſi affunditur; ſic jecur ſemel bile tinctum, renes urinâ, glandulæ cutis, palati, aliæve, ſudore, ſalivâ, vel humoribus analogis madentes iiſdem ſecernendis inſerviunt. Quæ per glandulas proprios humores ducunt medicamenta, eorum vel copiam afferunt ſanguini, illum alterando, vel eoſdem à cæteris ejus partibus ſegregant: hinc uberius illi per incernicula ſua fluunt. Diuretica urinæ copiam augent, ſanguinem ſolvendo ſi acria, ſulphureas ſanguinis partes cogendo ſi acida, acidum ipſum excipiendo ſi abſorbentia ſint. Sudorifica humorem è ſanguine eliciunt urinæ non abſimilem, ut docet Analyſis chymica; unde diuretica ſæpe evadunt, & diuretica quandoque ſudores movent. Vera ſudorifica pauca, diaphoretica plurima: illa adverſantur, hæc obſequuntur naturæ. Sudor facilius à labore quàm à medicamento, ob muſculorum motum. Hyſterica fermentum uterinum ex cæteris ſanguinis partibus expediunt, & vias ipſi parant. Effervеſcit illud ſingulis menſibus: unde tenebricoſæ vertigines, & reliqui capitis morbi virginibus contingunt circa menſium exitum. Ruit illud in uteri glandulas, quæ turgidæ venarum orificia comprimunt, & ſanguis per arterias fluit, qualis è victimâ, citoque concreſcit ſi mulier valet. Mercurius lymphaticam ſanguinis partem agitans ſalivam copioſiorem reddit: Hinc ſputationes crebræ, quas ſequitur humor craſſior, ſalivæ analogus, os inflammans & exulcerans, etiam in ſanis corporibus. Salivantia catharſim ſæpius quam diureſim, aut ſudorem moliuntur, propter affinitatem ſalivæ, & ſeri inteſtinalis. Purgantia ſudores non excitant aut ſalivationem, quia glandulæ primarum viarum prius ad excretionem parantur: ſalivales aut cutaneæ nequaquam niſi à frictionibus, aut maſticatoriis. Opium modicè ſumptum ſanguini affert copiam roris ſimilis illi, qui conciliat ſomnum naturalem, idcirco quietem: Immodicè exhibitum furorem & motus convulſivos, demum affectum ſoporoſum parit; adeo mira eſt Opii vis ſanguinem quaſi gradatim funditus liquans. A cauſticis cuti admotis fungoſa caro, ſeu colatorium novum oritur; ſerum facilius excipit, quod ſero primum imbutum ſit. Salis alieni mica in glandulis mammarum, aut cutis nidulans, carcinomatis, elephantiaſis, herpetiſque fœdæ ſæpe origo eſt. Pars veneno infecta, quidquid in ſanguine virulenti eſt, facile ſecernit. Dubium an ea tolli debeat?

Lib. 2. Prorrhet. Lib. 1. de Morb. mul.

MORBUS fermè omnis à fluidis, nec ſolidæ partes ex ſeipſis vitium capiunt. Fluida vel nimium fervent, vel nimium morantur in partibus. Viſcerum labes penè omnis ab inflammatione, aut obſtructione. Fit illa ab humore devio, cujus motus vel nimius, vel imminutus, vel interceptus. Hæc à materiâ vaſa ſanguinea, vel meatus & texturam partium occupante. Alterantium claſſes præcipuæ tres ſunt: Calidorum quæ humores perturbantia, caloris aucti, Frigidorum quæ fervorem minuentia, imminuti ſenſum inferunt: Specificorum quæ ſordes abluentia, & abſtergentia priſtinum ſtatum viſceribus, ac humoribus reddunt; Materiam quæ vim evacuantium fugit, ſenſim edomant, humorem parti dicatum augent, vel explicant: copioſius ille ſecretus meatus aperit, ſordes impactas diluit, à privatis viis ad publicas convehit, vel per obſcuras amandat. Hepatica propriè dicenda ſunt non quævis aperientia, leves vaſorum ſanguineorum obſtructiones tollere nata, ſed quæ cæcos meatus glandularum hepatis, inquinamentis liberant, bilem ſeu ſulphureas ſanguinis partes attenuantia, vel à compedibus cæterarum expedientia: Bilis ſcilicet irruens cum impetu incerniculum ſuum eluit, & detergit. Cæteri humores id præſtare nequeunt cum in proprias bilis vias non penetrent. Idem de cephalicis, ſplenicis, cæteriſque dicendum, quæ partium vitium tollere, eaſque excrementorum onere preſſas levare ſolent. Qui ſpecifica negant, Corticem Peruvianum, Mercurium, Ipecacuanham, Sulphur, Opium, Corallinam, Staphiſagriam, Stibium nuſquam norunt. Si medicamentorum vires propius inſpicias, omnia ſpecifica ſunt. Nonne vacuantium quoque delectus eſt habendus in variis affectibus? Aliud profecto eſt vomitum provocare cum Aſaro, aliud cum Stibio, Calcantho, Alumine, Ipecacuanha, aut Helleboro albo. Immane quantum diſcrepat Senna à Tamarindis, Caſſia ab Aloe, Rheum à Colocynthide, Scamonium ab Opopanace & Sagapeno; à Mannâ Elaterium, Bryonia, aut Helleborus niger. Cum ex vario conſtent partium ordine, non ſolum vacuant ſed humores alterant, & priſtinum nitorem partibus reſtituunt. Tantum inter ipſa diſcriminis eſt, quantum inter Opiatam ex reſinâ Jalapæ, Croco martis, Myrrhâ, Aquilâ alba, & ſale Abſinthii; ac potionem à Caſſiâ, Mannâ, & ſyrupo Roſarum.

VENÆ ſectione opportunè adhibitâ, majus præſidium nullum eſt: Sed *in ſecandâ venâ, perinde ac in dijudicandis litibus, facti quàm juris quæſtio ſæpe fit obſcurior.* Sanguis vitæ fons plerumque peccat copiâ, fervore, tenuitate, lentore. Exuperans & plus æquo fervens, aut lentus, tardius movetur, nimium moratur in partibus, calore morbifico eas corripit, aut fluxionibus obruit. Si tenuior ſit, celerius fertur quàm ut ſuis finibus contineatur. Detrahatur ergo per amplum foramen, & largâ manu, ſi præſens quæratur auxilium. Celerius currit ad vas inciſum quia facilius. Qui fluit prior, minori eſt impedimento proximè ſequenti, inde à corde rivus uberior derivatur. Imminutâ plenitudine, celeritas totius ſanguinis augetur in omnibus vaſis. Poſt venæ ſectionem tardius fluit quàm in venæ ſectione, celerius tamen quàm ante, grataque refrigeratione ſingulas partes recreat. Nimius calor oritur, vel à morâ vel à preſſione partium Sanguinis. Aucto motu recto, lentius; imminuto vehementius efferveſcunt. Nimium à ſe invicem preſſæ deurunt loca; ſic ferventis aquæ ſola preſſio in machinâ Papinianâ oſſa liquat in ſuccum lentum, & ſorbilem. Sanguis debitâ celeritate à venæ ſectione acceptâ, fluidior evadit, facilius ſua recrementa ponit, obſtructiones tollit, rapiens quæ vaſis tenacius hærent, vel eorum cavitatem occupant. In venæ ſectione non tantum ad vas inciſum, ſed ad viciniora citius fertur, unde derivatio antiquis ſapienter inſtituta. Adſunt obices in cerebro tundatur jugularis: ſanguis in arteriis ſummæ arcis celerius fluens, moles evertet ſibi oppoſitas. In anginâ quoque ſuccurrit eadem ſectio propter ſanguinem vehementius irruentem in carotidem externam. Revulſionem prudenter ſtatuerunt à parte oppoſitâ & longiſſimè diſtante. Dolentibus partibus ſuperioribus inciditur ſaphæna. Eadem ſecta ſuppreſſos menſes revocat, uteri impedimenta removens. Pulmo eſt veluti quædam inſula à cæteris partibus diſcreta. Hujus affectus non magis è malleolo, quam è cubito requirunt ſanguinem miſſum; niſi ratione cerebri aut infimi ventris. His ita expoſitis, cum medicamenta morbos mechanicè oppugnare veriſimile ſit, non temerè concludemus.

Fernel meth. med. lib. 2. cap. 4.

Ergo morborum curatio ad Mechanicæ leges referenda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus Bompart.
M. Nicolaus Andry.
M. Claudius Dufreſne.

M. Daniel Tauvry.
M. Antonius le Clerc.
M. Joannes Poiſſon, Medicus Regis ordinarius.



M. Ludovicus Labbé.
M. Andreas Enguehard, Profeſſor Regius.
M. Joſephus Thomaſſeau.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS LEMERY, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1697.